

*Populus Dei, in terram promissam ingressus,  
Pascha celebrat.*

Léctio libri Iósue

5, 9a. 10-12

In diébus illis:

<sup>9a</sup> **D**ixit Dóminus ad Iósue:  
«Hódie ábstuli oppróbrium Ægýpti a vobis».

[9b]

- <sup>10</sup> Manserúntque filii Israel in Gálgalis  
et fecérunt Pascha quarta décima die mensis  
ad vésperum in campéstribus Iéricho;  
<sup>11</sup> et comedérunt de frúgibus terræ a die áltero,  
ázymos panes et poléntam hoc ipso die.  
<sup>12</sup> Defecítque manna a die sequénti,  
postquam comedérunt de frúgibus terræ,  
nec usi sunt ultra cibo illo filii Israel,  
sed comedérunt de frúgibus terræ Chánaan in anno illo.

Verbum Dómini.